



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dispytatio XXVI. De tribus effectibus caritatis internis, gaudio, pace & misericordia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

quorum salute maior aliorum speratur fructus. Quando autem hæ circumstantiæ in diuersis diuersæ sunt, videndum quænam præponderent, & maiorem hinc & nunc obligationem inducant: quæ certis regulis definiri non possunt.

r76

D. Thomas.

Nota Secundò, D. Thom. supra ar. 13. disputare an ordo caritatis maneat in patria? & docere eum partim mansurum, quatenus, scilicet ibi amabimus Deum super omnia, nos ipsos post Deum appetituri præ alijs: partim verò non mansurum, quatenus ibi meliores absolu-

tè magis amabimus, quàm eos qui carnaliter nobis sunt coniunctiores, idque tum appetituri, tum etiam obiecturi, optando ijs maiorem gloriam quàm alijs minùs bonis. Quia cum ibi amplius non possimus aut nostram aut alterius salutem promouere, cessabit omnis obligatio sanguine coniunctos iuandi, & consequenter eorum salutem præ salute aliorum optandi: atque ita præcipua ratio eos diligendi, erit coniunctio cum Deo; & consequenter huic magis coniunctos magis amabimus.

DISPUTATIO XXVI.

De tribus effectibus caritatis internis, gaudio, pace & misericordia.

D. Thomas.



Iuvs Thom. cum explicasset naturam ac ordinem caritatis tam actualis quàm habitualis, quæst. 28. vltque ad 33. inclusiue disputat de sex eius effectibus, scilicet tribus internis, gaudio, pace & misericordia; & tribus externis, beneficentia, eleemosyna & correptione fraterna; hac autem disputatione explicabimus tres effectus internos, duabus sequentibus externos.

DVBIUM I.

Virum gaudium sit effectus caritatis & vera actio voluntatis à caritate distincta?

CONCLUSIO I. Gaudium de bono Dei quæ sit, siue quo gaudeo Deum hoc vel illud bonum siue internum siue externum habere, est verus effectus caritatis siue amoris Dei. Ita

D. Thomas.

D. Thom. q. 28. a. 1. & ferè communiter alij. Pro quo Nota, me quadrupliciter posse aliquod bonum apprehendere. Primò, considerando illud præcisè secundum se, & hinc in voluntate nascitur quædam simplex complacentia, qua illud mihi secundum se placet. Secundò, apprehendendo illud vt aut mihi aut amico meo bonum, absens tamen, & hinc nascitur desiderium. Terriò, considerando illud simul vt acquisitu possibile, & hinc nascitur spes. Quartò, apprehendendo illud vt præsens, & hinc nascitur gaudium: quod nihil est aliud quàm positiua quædam quies siue suavis animi affectus in bono à se vel amico adepto quiescentis.

Gaudium quid sit.

2

Sicut igitur complacentia siue amor boni absentis in voluntate excitat desiderium quo ad id consequendum contendat; ita amor boni iam adepti in eadem excitat suauem quendam affectum, quo in illo conquescat, & quantum potest sibi coniunctum detineat. Sicut contra odium rei malæ impendentis, excitat in animo timorem quo illud fugit, & quando illa res præsens est quandam tristitiam: quæ est quædam molestia & inquietudo animi contra illud malum luctantis & conantis illud excurrere. Igitur caritas, qua Deus nobis in se placet, quaque

Tristitia quid sit.

omne bonum ei desideramus, hoc ipso quod videmus eum habere bonum, quod ei optamus, causat in nobis gaudium, voluntatem ad hoc eliciendum efficaciter impellendo; ferè simili modo atque intentio efficax finis causat in voluntate electionem medij.

Contra hæc vltima dicta sentiunt Scotus in 3. dist. 15. q. vnic. §. *Aliter potest dici*. Gabriel in 1. dist. 1. q. 3. a. 2. Occam ibid. & quidam alij, putantes gaudium aut tristitiam non esse veras actiones voluntatis, nec ab ea produci, sed vel ab ipso obiecto (vt Scotus) vel immediate ab ipso actu amoris; vel odij, vt alij volunt, voluntate se habente merè passiuè.

Probant Primò, quia omnis actio voluntatis est volitio vel nolitio: atqui gaudium & tristitia nec sunt volitio nec nolitio: ergo non sunt actiones voluntatis. Minor prob. quia Deus & Beati res aliquas, v. c. peccata hominum, summe nolunt esse, & tamen nullo modo tristitantur: ergo tristitia non est nolitio. Secundò, quia omnis actio voluntatis est libera, & in voluntatis potestate: atqui non est in potestate voluntatis non gaudere posita præsentia rei valde amata; aut nō tristari posita præsentia rei quam odit: ergo gaudium & tristitia non sunt actiones voluntatis.

CONCLUSIO II. Gaudium (eademque est ratio tristitiæ) est vera actio voluntatis. Ita Cajetan. 1. 2. q. 4. a. 1. & q. 31. ar. 4. Vasquez ibid. disp. 14. cap. 2. Bañez 2. 2. q. 28. a. 1. & ferè communiter alij.

Probat, quia, vt patet experientia, voluntas gaudenti siue per ipsum gaudium vitaliter tendit in obiectum: percipimus enim nos simili modo tendere in obiectum per gaudium, sicut per desiderium aut similes animi affectus: atqui hoc esset falsum si non produceretur immediate à voluntate: ergo necessariò dicendū est ita produci. Minor prob. quia aliàs possemus intelligere & velle per intellectionem & volitionem à solo Deo in meo intellectu productas: sed hoc est absurdum: ergo & id vnde sequitur. Aliqui negata minore huius syllogismi concedunt maiorem: sed hanc esse falsam vel inde patet, quod aliàs sequeretur, voluntatem posse

Scotus. Gabriel. Occam.

Cajetan. Vasquez. Bañez.

Nihil potest velle aut intendere nisi deus in me producat.

posse aliquid velle volitione sibi nullo modo voluntaria, eò quòd nullo modo procederet ab intrinseco. Item aliàs posset voluntas in suis volitionibus absolute & propriè vim pati & cogi ad volendum, non minùs quàm graui possunt cogi vt ferantur sursum. Illa autem sunt aperte absurda, vt patet ex ijs quæ D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 1. & 4. & alij communiter docent. Posset hæc pluribus facile clare probari, sed res non est huius loci.

D. Thom.

Ad primum argumentum contrarium, nego minorem, si volitionem & nolitionem generatim sumas, prout in maiore sumuntur; si autem volitionem speciatim & strictè sumas pro sola volitione finis, prout eam quandoque aliqui sumunt, sicut intellectus etiam sumitur pro sola cognitione principiorum: sic nego maiorem. quia aliàs electio medij non esset actus voluntatis, quia non est volitio ita strictè sumpta.

Ad probationem minoris, nego consequentiam; quia inde solùm sequitur, non omnè malum nolitionem esse tristitiam, sed eam solam quam supra descripsi, quæ in Beatos non cadit.

Ad secundum, nego Primò, maiorem. nam amor beatificus est vera actio voluntatis: & tamen nullo modo est liber. Nego Secundò, minorem generatim sumptam; nam etsi gaudium & tristitia quandoque non sint nobis libera, quando nimirum amor boni, vel odium mali præsentis non sunt nobis libera: tamen quoties hæc nobis libera sunt, etiam illa sunt libera. eodè modo quo electio medij ad finem intentum necessarii, est nobis libera, iuxta dicta supra disp. 2. n. 37. & sequentibus.

Gaudium & tristitia quandoque sunt nobis libera, quandoque non.

CONCLUSIO III. Gaudium de bono Dei præsentis est actio voluntatis distincta ab actu caritatis, quo Deo illud bonum opto. Hæc videtur aperta sententia D. Thomæ supra a. 1. & 4. & omnium eorum, qui fatentur hoc gaudium esse effectum caritatis; nam effectus debet à sua causa distingui.

D. Thom.

Probatur Primò, quia tristitia est actio distincta ab odio mali præsentis: ergo gaudium est actio distincta ab amore rei præsentis: est enim par vtriusque ratio. Antecedens probatur, quia tam Deus quàm Beati vehementissimè oderunt ac detestantur quædam mala præsentia, v. c. iniuriam quæ Deo per peccata inferitur, & tamen de ea nullo modo tristantur. quod fieri nullo modo posset, si tristitia non distingueretur ab odio rei malæ præsentis: tunc enim nullo modo posset vnum sine altero reperiri.

Probatur Secundò, quia gaudium potest etiam de facto separari ab amore boni præsentis: vt contingit in ijs, qui vehemènti tristitia absorpti sunt. qui etsi cogitent de bono aliquo à se possessio, illudque actu ament, tamen de eo, tristitia id impediens, gaudere non possunt.

Vbi Nota, me non dicere gaudium distingui ab omni amore rei præsentis; hoc enim aperte dictis repugnat: nam cum iuxta dicta gaudium sit quædam volitio boni præsentis, necessariò est etiam aliquis eiusdem amor: nam omnis volitio boni est amor boni. Solùm itaque dicimus gaudium distingui Primò, ab amore ipsius boni, quo hoc siue absens, siue præsens secundum

se mihi placet. Secundò, ab eo amore quo mihi aut meo amico illud bonum opto, qui amor etià fertur tam in bonum absens, quàm in præsens; nam per eum opto mihi acquiri bonum absens, & præsens conseruari. & ex hoc amore nascitur gaudium posita ipsius boni præsentia, iuxta dicta n. 2.

Ex dictis sequitur Primò, caritatem hanc in nobis causare non solùm gaudium, sed etiam tristitiam: nam sicut per eam amamus bonum Dei, ita etiam impellimur vt oderimus malum ei contrarium, & eo in nobis aut proximo existente tristemur. hinc contritio est verus effectus caritatis.

8
Caritas & gaudium & tristitiam gignit.

Sequitur Secundò, resolutio duarum difficultatum, quas D. Thom. resoluit supra a. 2. & 3. scilicet vtrum gaudium quod nascitur ex caritate, habeat admixtam tristitiam? & vtrum hoc gaudium possit impleri.

9
D. Thom.

Ad primum, Respondet si respiciamus præcisè bona Deo intrinseca, nos solùm posse de ijs gaudere: quia cum in illis nullus possit esse defectus, nulla potest esse causa tristitiæ. Si verò respiciamus bona Deo extrinseca, caritatem generare in nobis non solùm gaudium, sed etiam tristitiam, qua dolemus hæc bona in tam multis deficere, ab ijsque negligi ac violari.

Ad Secundum, Respondet gaudium duobus modis posse esse plenum, Primò, ita vt sitantum quantum est bonum, de quo gaudemus: docetque sic solum Deum posse habere plenum de suo bono gaudium: quia omne gaudium creaturæ necessariò est finitum, & consequenter minus bono infinito. Secundò, ita vt voluntas in eo omnino conquiescat, nec vllam ampliùs inquietudinem patiatur, aliquid aliud desiderando: & ait nostrum gaudium hac ratione hanc impleri non posse: quia semper hanc est aliquid quod nos inquietat. Imò cum hanc tanquam exules ad æternam patriam tendamus, quo maior in nobis est caritas, eo magis ad eam aspiramus, & consequenter animus noster eo minùs hanc potest in gaudio conquiescere. Addit D. Thomas id implendum in altera vita, vbi omni bono fruemur.

10
Gaudium dupliciter plenum.

D V B I V M II.

Vtrum gaudium de bono Dei sit particularis virtus distincta à caritate?

D. Ius Thom. supra a. 4. respondet non esse virtutem distinctam à caritate; quia idem caritatis habitus, vt patet ex dictis, nos inclinat ad amandum bonum diuinum, & ad gaudendum de eo; sicut idem habitus inclinat nos ad intentionem finis & electionem medij. Et hæc est ferè communis sententia & certa; tamen duæ sunt obiectiones hanc explicandæ, ad quas non omnes eodem modo respondent. Prior est, Tristitia inordinata est particularis vitium: ergo ordinatum gaudium est particularis virtus ab alijs distincta. Secunda, Spes non minùs sequitur ex amore, quàm gaudium: atqui illa est particularis virtus distincta ab amore: ergo & hoc.

11
D. Thom.

Pro

12
Ex duplici
capite pos-
sunt aliqui
actus dici di-
stinctas vir-
tutes.

Intentio &
electio erit
physica spe-
cie differens
moralem
bonitatis
speciem ha-
benteandē.

13
D. Thom.

Cur spes
potius ha-
beat specialem
rationem vir-
tutis quam
gaudium.

14

Omne malū
existens habet
malitiam cer-
tæ speciei.

Inordinatus
amor non
semper est
malus ex ob-
iecto.

15

Pro resolutione Nota, duos actus dupliciter posse dici esse distinctas virtutes. Primò, quia eliciuntur à diuersis habitibus. Et ratio D. Thomæ bene probat gaudium hac ratione non esse distinctam virtutem à caritate. Sed, vt ostendi supra disp. 19. dub. 9. nu. 128. etiam spes theologica hac ratione videtur posse dici eadem virtus cum amore concupiscentiæ circa Deum, imò cum gaudio beatifico de Deo iam possessio: quia ab eodem habitu procedit. Secundò, quatenus habent eandem specie bonitatem moralem, & consequenter eandem rationem virtutis: quia ratione etiam intentio finis & electio medi-um, et si physicè loquendo sint diuersæ speciei, quia habent obiectum formale proximum distinctum; tamen habent eandem specie bonitatem moralem: quia bonitas moralis electionis suam speciem accipit à bonitate finis: atque ita in ratione virtutis intentio & electio sunt eiusdem speciei.

Et D. Thomas intendit docere, gaudium & caritatem etiam hac ratione pertinere ad eandem virtutem. Quod tamen in respons. ad 2. negat de virtute spei respectu simplicis amoris concupiscentiæ circa Deum. Quia, vt ait, *spes addit ex parte obiecti quandam specialem rationem, scilicet arduum & possibile adipisci*. Quod non est ita intelligendum, quasi hæc ingrediantur forma-lem rationem spei (hoc enim verum non est, vt ostendi disp. 19. dub. 2.) sed quia hæc conditio-nes sicut multum variant modum potentie tendendi in obiectum, & reddunt eum longè difficiliorem ac alterius rationis; ita dant actui singularem honestatem. vt dixi loco citato nu. 24. Secus est de gaudio quod perfectum amo-rem boni adepti naturaliter consequitur; ideo-que non habet specialem bonitatem ab illo di-strictam. Et hinc patet responsio ad secundum argumentum supra allatum.

Ad primum, Respondet D. Thomas eam tris-titiam nasci ex inordinato amore sui, qui non est speciale vitium, ideoque inordinatam tris-titiam debere esse particulare vitium. secus verò esse de dicto gaudio quod nascitur ex caritate, quæ est specialis virtus.

Sed hæc responsio habet difficultatem, quia, etsi inordinatus sui amor in genere ac in abstrac-to sumptus non sit speciale vitium: tamē qui-uis eiusmodi amor in particulari est necessariò speciale vitium. nam sicut nihil potest existere nisi sit certæ speciei, ita nihil potest actu esse malum, nisi malitia certæ speciei. Cum igitur in-ordinata tristitia necessariò oriatur ex certo a-more inordinato actu malo, necessariò oritur ex amore habente malitiam certæ speciei.

Respondeo D. Thom. non negare quin ille inordinatus amor à parte rei, siue prout hinc & nunc ponitur, sit malus malitia certæ speciei; sed solum negare, istum amorem habere sem-per hanc malitiam à se, seu ex suo obiecto, quod directè respicit; sicut caritas habet suam boni-tatem.

Pro quo Nota, tristitiam inordinatam, qua voluntas de aliquo bono opere debito, siue quod tenetur suscipere, tristatur quia laborio-sum est, & qua tale id aduersatur; communiter

nasci ex amore sui ipsius secundum se non malus sed ideo solum inordinato ac malo, quia nimis est, atque ita illam tristitiam causat, siue quia est interpretatiua huius volitio, & consequenter tunc accipit suam malitiam ab hac tristitia tam-quam ab obiecto interpretatiue volito: sicut intentio boni finis causans electionem mali me-diæ ab hac suam malitiam accipit. vnde sequitur, in illis casibus tam dictam tristitiam, quam hæc electionem, quatenus prius natura quam exi-stunt per modum obiecti respiciuntur ab inten-tione finis, aut ab illo inordinato amore, ha-bere malitiam obiectiuam certæ speciei, prius natura, quam eam habeant illi amores ex qui-bus sequuntur, qui sine his mali non essent. se-cus autem contingit in actu caritatis, ex quo gaudium nascitur, vt per se patet. Et hoc solum intendit D. Thomas.

D V B I V M III.

Quid sit pax: & quare ratione sit effectus cari-tatis?

Nota Primò, pacem opponi bello, dissen-sioni ac turbationi, & significare quandā ab illis omnibus quietem; vbi enim illa sunt, pax esse non potest. hinc etiam mare dicimus esse pacatum, quando non est turbulentum, sed omnino quietum.

Nota Secundò, hominem posse dupliciter turbari, scilicet exterius per disensionem cum alijs, & interius per inordinatas passionis qui-bus turbatur, appetendo ea quæ aut nullo mo-do, aut non nisi illicitè potest assequi; aut etiam cupiendo res inter se pugnantes, v. c. honorari ab hominibus, scientiam ac dignitates conse-qui; & tamen sectari ignauiam ac vitia, quæ ei infamiam pariunt, & ad illa consequenda ine-ptum reddunt. Ex quibus nascitur magna in a-nimo inquietudo, & quasi quædam distractio ac seditio siue conflictus affectuum ac cupidita-tum pugnantium, tam inter se quam cum recta ratione. Ex quo sequitur, duplicem hominis esse pacem, scilicet internam & externam, & vt quis absolute fruatur pace vtramque requiri.

CONCLUSIO I. Interna hominis pax consi-stit in perfecta consensione voluntatis ipsius cum diuina, & omnium appetituum tam inter se quam cum recta voluntate, externa verò pax consistit in ordinata consensione voluntatis ip-sius cum voluntate eorum quibuscum ei agē-dum est. Et consequenter absoluta hominis pax in vtraque dicta pace consistit. Ita aperte D. Au-gustinus l. 19. de Ciuit. cap. 13. vbi ait: *Pax animi rationalis ordinata cognitionis actionisq. consensio. Pax hominis mortalis & Dei immortalis ordinata in fide sub æterna lege obedientia*. Quibus aperte in-ternam hominis pacem describit, quam homo habet secum, & cum Deo. Subdit: *Pax homi-num ordinata concordia*. Vbi describit externam pacem.

Res etiam per se patet: nam positis illis con-sensionibus homo ab omni turbatione ac dis-sensione perfecte quietem habet. Prior enim consensio tollit omnem turbationem, quam possit

possit in se habere ratione dissensionis appetituum inter se aut cum ordinatione diuina; & secundò tollit ei omnem dissensionem, quam possit habere cum hominibus.

D. Thomas. Ex quo etiam aperte sequitur id, quod docet D. Thom. q. 29. a. 1. pacem superaddere aliquid concordie siue consensu diuersarum voluntatum, in qua consistit externa pax: scilicet ipsam internam pacem.

20 CONCLVSIO II. Caritas primò & precipue operatur pacem internam: externam verò illa mediante; nec absolute, sed quantum hæc potest cum illa consistere; vnde etiam aliquando hanc tollit, quando cum priore nequit consistere.

Qua ratione caritas causat pacem. Prima pars patet ex dictis disp. 21. n. 29. & 35. ubi ostendi caritatem nostram voluntatem perfectissimè subijcere diuinæ, ac inter vtramque efficere maximam consensionem. Item adiuuante Deigratia & exercitio aliarum virtutum continuo contendit omnes animi affectus ac desideria ad vltimum finem & Dei honorem ordinare, ac ita ea rectæ voluntati planè subijcere.

Secunda pars probatur, quia interna hominis pax, dum omnes passiones domat, tollit causas quæ communiter solent inter homines generare discordias, & dum voluntatem totam inclinat vt quærat in omnibus bonum Dei, simul eam inclinat vt se aliorum voluntati in omnibus quantum fieri potest accommodet, & (vt de se testatur Apostolus 1. ad Cor. 9.) vt omnia omnia fiat, vt omnes faciat saluos.

1. Cor. 9. Tertia pars probatur, quia caritas sæpè nos impellit vt impijs aliquid contra Dei honorem molientibus resistamus, atque ita eorum voluntatem contra nos iritemus. testatur id aperte ipse Christus qui cum Luca 12. agens de caritate dixisset: Ignem veni mittere in terram, & *Luc. 12.* *Matth. 10.* quid volo nisi vt accendatur? tamen Matth. 10. ait: Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. veni enim separare hominem aduersus patrem suum, &c.

21 Hinc sequitur Primò, nos in hac vita non posse omnino perfectam habere pacem: quia *Hic nunquam habemus omnimodam pacem.* Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. vt dicitur 1. ad Tim. 3. tales enim semper aliquos reperiunt, à quibus aliqua debent pati: aut si sint ita ab hominibus separati, vt ab ijs vexari nequeant, infestantur à diabolo.

Hoc tamen Notandù, quodd si homo haberet omnino perfectam pacem internam, ita vt nec interius sentiret vllam appetituum pugnam, nec externis persecutionibus vllomodo moueretur; talem absolute habiturum veram pacem. sed hoc in altera vita consequemur: hic autem omnino perfectè consequi non possumus.

22 Sequitur Secundò id, quod docet D. Thom. *D. Thomas.* supra a. 4. scilicet pacem non esse aliquam particularem virtutem. nam sicut sanitas corporis non consistit in vna aliqua qualitate, sed in iusta ac ordinata omnium proportionem: ita pax non est vna aliqua virtus, sed omnium appetituum inter se & cum diuina voluntate consensus, ad quem requiritur omnium virtutum concursus,

quibus omnia contraria vitia expellantur.

Sequitur Tertiò, id quod docet D. Thom. *23* supra art. 2. scilicet omnes etiam seditiosissimos appetere pacem: quia hi ideò mouent seditiones vt alios cogant suæ voluntati consentire, atque ita cum ijs pacem habeant; mali tamen ad eam assequendâ vtuntur medijs peruersis, inutilibus ac noxijs, cum suo agendi modo suas passiones magis alant ac concitent, quàm in ijs tam internam quàm externam pacem continuè turbant.

Sequitur Quartò, veram pacem non posse esse nisi inter bonos & virtutis studiosos: atque adeò verissimum esse quod dicitur Isaia 48. *24* *Malis non est pax.* Non est pax impijs, dicit Dominus. & 59. Viam pacis nescierunt. *Isaia 48. & 59.*

Sequitur Quintò, quando in Scriptura nobis præcipitur vt seruemus cum alijs pacem, non præcipi nobis aliqù certum actû; sed vt quantum possumus ea omnia caueamus, quæ alios meritò possent offendere aut turbare, atque ita pacem auertere; sed contra faciamus ea, quæ possunt honestam inter nos pacem conciliare.

D V B I V M I V.

Quid sit misericordia

25 De hac tractat D. Thom. q. 30. vbi a. 1. ex D. August. 1. 9. de Ciuit. c. 5. ea ita definit: *D. Thomas.* *August.* Misericordia est aliena miseria in nostro corde compassio, quæ utique si possumus subuenire compellimur. subditque D. Thom. misericordiam ita dictam quòd miserans habeat cor ex aliena miseria miserum, ratione nimirum compassionis, quæ ei comparatur. Vt autem tota res clariùs intelligatur, Notam misericordiam dupliciter posse lumi. Primò, pro passione quadam partis interioris animi, aut pro habitu eiusdem passionis moderatio. Secundò, pro affectione siue virtute in parte superiore animi consistente.

26 CONCLVSIO I. Si accipiamus misericordiam pro passione, tunc rectè definitur à D. Thoma ex D. Augustino. Prob. Primò, auctoritate ipsius S. Augustini, qui tam capite citato, quàm præcedente testatur se loqui de misericordia, vt accipitur pro passione partis inferioris: vnde in fine capitis docet, angelos sine ira punire, & sine compassione miseris subuenire. & tamè, inquit, istarum nomina passionum consuetudine locutionis humane etiam in eos vsurpantur: propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem. Vbi misericordiam aperte vocat passionem, ideoq; negat eam posse angelis cõuenire. Prob. Secundò, quia ex communi hominũ sensu conceptam ex aliena miseria animi commotionem, si ea impellamur ad subueniendũ, vocamus misericordiam: atqui talis commotio vt reperitur in parte inferiore animi; rectè dicitur compassio, non autem prout est in voluntate: ergo misericordia dicto modo sumpta, est passio partis inferioris. Minor prob. quia compassio est quædam passio: atqui omnis passio est in parte inferiore animi: ergo etiam compassio. Cõfirm. quia communiter solemus pro eodem accipere aliquem moueri misericordia erga alium, & illum

lum huic compati: ergo compassio & misericordia idem sunt, prout hæc dicit illam animi commotionem.

27 CONCLUSIO II. Datur in parte inferiore animi habitus moderatius huiusmodi passionis, & hic est bonus ac honestus, potestque dici virtus misericordiae. ita D. Thom. supra a. 3.

D. Thom.

Prior pars probatur, quia, ut recte docet D. Thom. 1. 2. q. 56. a. 4. in concupiscibili & irascibili debent poni quidam habitus, ut hæc potentia possint bene dirigi à ratione: atqui actus misericordiae ut est compassio quædam, est in concupiscibili: ergo ut hæc in hoc actu facile dirigatur secundum rationem, debet in eaponi aliquis habitus illius passionis moderatius.

D. Thomas.

Prob. Secundò, quia, ut docet D. Thom. infra q. 58. ar. 5. ad 2. temperantia & fortitudo ponuntur subiectivè in parte inferiore animi: ergo etià hic habitus in eaponitur, quia est eadè ratio.

28

Augst.

Secunda pars prob. quia D. Augustinus supra probat ex Cicerone misericordiam esse virtutem: atqui non est virtus ut est præcisè motio seu passio animi: ergo prout accipitur pro habitu illius passionis moderatio. Confirm. quia ipse ibidem dicit eam vocari virtutem quatenus interuit rationi, ne quid contra iustitiam faciat: atqui habitus moderans passiones propriè inferuit rationi, non autem ipsa passio: ergo ab Augustino non hæc passio, sed ille habitus vocatur virtus.

D. Thomas.

Dices, D. Thom. a. 3. ponit hunc habitum in parte intellectuali: ergo non loquitur de habitu moderatio passionum. Respondeo, nego consequ. quia D. Thom. ibi accipit partem intellectualem pro concupiscibili, quatenus hæc à ratione dirigitur, atque ita suo modo rationem participat, ut ipse docet in 1. 2. loco supra citato q. 56. a. 4.

29

Richard.
Vasquez.
Bañez.
Turrian.
Clemens
Alexand.

CONCLUSIO III. Virtus misericordiae propriè consistit in voluntate, & est aliena miseriae displicentia, siue nolitio efficax, qua scilicet voluntas movetur ad succurrendum. Ita Richard. in 4. dist. 46. ar. 2. q. 1. Vasquez 1. p. q. 21. in comment. a. 3. Bañez 2. 2. q. 30. ar. 3. dub. 2. conclus. 1. Turrian. ibid. disp. 79. dub. 1. eamque apertè videtur tenere Clemens Alexand. lib. 4. Stromatum in illud Matth. 5. *Beati misericordes*, &c. Vbi reprehendit philosophos eo quod misericordiam dicebant esse molestiam propter alienas miseriae, docetque eam esse aliquid diuinum, & maximè consistere in voluntate subleuandi alienam miseriae.

Misericordia
est in Deo.

Probatur Primò, quia in Deo & in Beatis est propriè dicta misericordia: atqui in illis non est habitus ille moderatius alicuius passionis, aut aliquid huic habitui respondens; quia omni planè passione carent, sed in ijs tantum est displicentia quædam aliena miseriae, & voluntas eam subleuandi: ergo virtus misericordiae propriè consistit in tali voluntate. Maior prob. quia Scriptura pluribus locis Deo tribuit misericordiam, eamque præcipuè in eo exaltat. Hinc psal. 144. dicitur miserationes Domini esse super omnia opera eius. Hinc etiam Clemens Alexandrinus supra dicit misericordiam esse aliquid diuinum, quo scilicet Deo sumus planè similes, iuxta illud Lucæ 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester ca-*

Psalm. 144.

Clemens
Alexand.

Lucæ 6.

Estote misericordes, sicut & Pater vester ca-

lestis misericors est. Confirm. ex D. Augustino supra dicitur misericordiam à se definitam pertinere ad imperfectionem præsentis vitæ, quæ non erit in caelo, apertè significans ibi verè reperiri misericordiam sine vlla imperfectione: hæc autem misericordia nequit esse alia, quam iam à nobis est definita.

Nota in actu misericordiae tria concurrere. Primum, est displicentia quædam miseriae ipsius proximi quatenus ipsi mala est. Secundum, est voluntas, quantum in ipsa est siue ex parte sua efficacax ipsi succurrendi. Quamquæ autem hæc duo non semper re ipsa distinguantur, quia perfecta displicentia aliena miseriae continet in se eiusmodi voluntatem; semper tamen virtute distinguuntur, & ipsa displicentia est ratione prior illa voluntate, siue idem ille actus prius ratione habet rationem displicentiae, quam ratione efficacis voluntatis succurrendi: & sæpe fit ut hæc re ipsa distinguantur; ut quando ea displicentia initio est inefficax, & deinde fit efficacax adiuncta voluntate succurrendi. Tertium, est ipse exterior effectus siue succursus & amorio mali ipsius proximi. Inter hæc autem præcipuum obtinet voluntas succurrendi; nam ex hac reliqua sua bonitatem obtinent. Quia inefficax displicentia est parui momenti, si ex se fit inefficax, & non tantum propter extrinsecum impedimentum: exterior autem actio per se non habet formalem bonitatem aut malitiam; sed solum ratione voluntatis qua imperatur.

Ex his patet, quis sit sensus Clement. Alexandrini supra citati, & quam sit verum quod ibidem docet, scilicet misericordiam propriè non consistere in illa molestia, quæ aliquando ex proximi miseria suscipimus, imò hanc molestiam ad veram rationem misericordiae nullo modo esse necessariam. Item quomodo in Deo sit vera & propriè dicta misericordia, quia miseria nostra ei verè displicet, habetque efficacem voluntatem eam tollendi.

CONCLUSIO IV. Hæc virtus non videtur distincta à caritate proximi. Ita Bañez supra dub. 1. quamquæ contrarium etiam putet probabile. & Lorca 2. 2. lect. 3. disp. 33. Prob. quia eiusdem virtutis est amare proximi bonum & auerfari malum contrarium: atqui caritas amat & procurat bonum proximi: ergo eadem eius malum auerfatur & propellit. Loquor autem hic de caritate proximi prout generatim significat omnem amorem erga proximum, siue eum amem præcisè propter Deum & virtute theologica, siue propter intrinsecam suam bonitatem & amicitia humana ac virtute merè morali.

Confirm. Primò, quia sicut se habet amor nostri erga mala propria, ita se habet amor proximi erga mala proximi: sed idem amor nostri impellit nos ad procuranda nobis bona, & mala à nobis propulsanda: ergo idem amor proximi impellet nos, ut ei bona optemus, & ut mala ab eo propulsemus. Confirm. Secundò, quia D. Tho. infra q. 33. a. 1. in corpore expressè docet, correptionem fraternam, quæ est propriè actus misericordiae, esse actum caritatis quatenus ordinatur ad malum proximi amouendum. idque probat, quia amovere malum alicuius, & procurare eius bonum sunt eiusdem rationis: procurare autem bonum proximi pertinet

30
Misericordia
est caritas
proximi.

31
Misericordia
est caritas
proximi.
Bañez.
Lorca.

net ad caritatem, qua volumus & procuramus amico bonum. unde inferit quod etiam fraterna correctio ideo sit actus caritatis, quia per eam repellimus malum proximi: ergo idem est dicendum de quouis alio actu misericordiae.

Nota D. Thom. q. 30. constituere misericordiam quamdam virtutem à caritate distinctam, & quae sit quasi effectus caritatis; & q. 33. contra docere, opera misericordiae immediate elici à caritate, quia priore loco loquitur de misericordia praeceptum ut se extendit ad opera misericordiae corporalia, quae ferè sunt ex aliqua cōpassione erga proximum: in secundo verò agit de operibus misericordiae spiritualibus tantum, quae vix habent coniunctam cōpassionem, quia mala proximi spiritualia non ita commouent partem inferiorem animi, & consequenter ad ea decenter amouenda non ita est opus saltem communiter illo habitu passionum moderatio, in quo D. Thomas q. 30. constituit particularem virtutem misericordiae.

Prob. conclusio Secundò, quia actualis contritio est actus caritatis: ergo etiam actualis misericordia. Prob. consequ. à paritate rationis: quia ideo contritio pertinet ad caritatem Dei, quia per illam displicet mihi peccatum, & quantum in me est cupio illud tollere, quatenus est quoddam malum Dei, eiq; displicet: ergo similiter misericordia, qua mihi displicet malum proximi quia tale, & qua cupio quantum in me est illud tollere, erit actus caritatis erga proximum.

Prob. Tertiò, quia Scriptura explicat quomodo proximus amandus sit, communiter docent id faciendum per actus misericordiae: & ex horum exhibitione aut defectu colligunt aliquem habere aut non habere caritatem. Ita Luca 10. ostenditur Samaritanum dilexisse proximum, quia ipse fecit misericordiam: & Iohan. 15. Christus praeceptis suis caritatem, quam erga se inuicem deberent habere, ostendit eam consistere in subleuatione miseriae proximi, praesertim cum hanc etiam cum nostro damno subleuamus, scilicet animam nostram pro eo ponendo. Item S. Iohan. epist. 1. c. 3. & S. Iacobus in epistola sua c. 2. pluribus ostendunt caritatem non posse consistere sine operibus misericordiae, eamque ex his maxime demonstrari. Unde etiam tam illi ibi, quam etiam nos communiter eadem opera vocamus opera misericordiae & caritatis.

Dices Primò, Misericordia tantum versatur circa miseros, impellendo nos ut eorum miseriam subleuemus; caritas verò etiam versatur circa Beatos, impellendo nos ut ipsis sua bona gratulemur: ergo misericordia non est caritas.

Respondéo, nego consequentiam, quia inde tantum sequitur, caritatem non sub quacunque ratione consideratam posse dici misericordiam; sed tantum quatenus versatur circa mala ipsius proximi subleuanda. Sicut etsi omne gaudium de bono diuino quia tali, sit actus caritatis; tamen non omnis amor boni diuini est gaudium, sed is solus qui certo modo versatur circa bonum Deo praesens, quia tale est; ut ostendi supra dub. 1. & 2.

Dices Secundò, Per actum caritatis proximi volo ei bonum praecise quia ei bonum est; aut saltem quatenus est bonum Dei, si illum amo propter Deum: atqui qui vult subleuare miseriae proximi quia hoc honestum est, non vult proximo bonum quia huic bonum est, sed potius sibi vult illam honestatem, & consequenter vult proximo bonum, non quia proximo, sed quia sibi bonum est: ergo ipse hoc non facit actu caritatis, sed alterius particularis virtutis.

Respondéo, nego minorem: nam alias sequeretur, nos nunquam ex virtute caritatis siue benevolentiae erga proximum posse huic aliquid bonum velle: quia, ut ostendi supra disp. 3. dub. 4. ut actus voluntatis, praesertim qui versatur circa obiectum quod potest male appeti (quale est bonum proximi quia huic bonum) sit honestus, & consequenter ut sit actus virtutis, voluntas debet illud bonum appetere, quia honestum est illud appetere; quare iuxta illam obiectionem voluntas debet illam honestatem sibi appetere, nec poterit actu honesto appetere bonum proximi quia huic bonum est, sed solum quia sibi bonum est. quod aperte absurdum est. Quare quod aliquis sibi appetat honestatem alicuius actionis, nullo modo impedit quin alteri eodem actu velit bonum quia ei bonum est, & vero actu benevolentiae: sed potius illud est necessarium ut hic actus sit vera virtus benevolentiae.

Dices Tertiò, Misericordia non respicit malum proximi absolute sumptum, sed tanquam subleuandum, in quo reperitur particularis difficultas, ne aut nimia cōpassione desectamus à iustitia, aut contra ex imprudenti nemini iudicantes miseros digna suis factis recipere, atque ita non esse subleuandos, desectamus ad crudelitatem.

Respondéo Primò, veram caritatem, quae non solis verbis diligit, sed opere & veritate, ut dicitur 1. Iohan. 3. similiter respicere malum proximi ut subleuandum: atque ita est eadem virtusque ratio. Resp. Secundò, hoc argumentum ut summum probare secundam nostram conclusionem, scilicet, ut recte ac ordinatè proximi misereamur nos indigere aliquo habitu moderante passionem, quae possent rectum hac in ordinem impedire. Quod nihil omnino facit contra quartam nostram conclusionem.

Dices Quartò, Ad Coloss. 3. cum Apostolus eos adhortatus esset ut induerent viscera misericordiae; subdit, *Super omnia autem haec caritatem habere, quod est vinculum perfectionis*. ergo sentit misericordiam esse virtutem distinctam à caritate.

Respondéo, nego consequentiam: solum enim significat caritatem habere varios alios actus siue effectus, quos in se non continet misericordia. Aut etiam & fortè magis ad sensum Apostoli, dici potest eum ibi accipere misericordiam pro externo ipsius opere siue elargitione eleemosynae, & caritatem pro amore interno. Item potest misericordia ibi accipi prout prouenit ex benevolentia erga proximum, atque adeò prout est virtus moralis; & caritas pro virtute theologica.